

**Dissertatio inauguralis medica de diarrhoea et febre ardente a quibus  
plerisque exteris Lutetiae Parisiorum agentibus periculum imminet ... /  
[Daniel Hoffmann].**

### **Contributors**

Hoffmann, Daniel, 1695-1752.  
Camerarius, Rudolf Jakob, 1665-1721.  
Universität Tübingen.

### **Publication/Creation**

Tubingae : Literis Josephi Sigmundi, [1717]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/yearfcar>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

13

L. D. B. V.  
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE  
**DIARRHOEA**  
ET  
**FEBRE ARDENTE**

à *Quibus*

Plerisque exteris Lutetiæ Parisiorum  
agentibus periculum imminet.

Assistente *Divinâ Gratiâ*

Ex Decreto Gratiæ Facultatis Medicæ

**P R Ä S I D E**

VIRO Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo atque

*Experientissimo*

DNO. RUDOLPHO JACOBO  
**CAMERARIO,**

Phil. & Med. Doct. hujusq; Prof. Publ. Ord. Celeberrimo,  
Domino Patrono, Præceptore & Cognato at atempie Colendo

**PRO LICENTIA**

Summos in Medicina Honores legitime consequendi

publicæ disquisitioni submittit Author


DANIEL HOFFMANN, Stuttgardianus.

*Ad diem Decembris,*

**ANNO JUBILÆI EVANGELICI SECUNDI**  
MDCCXVII.

---

ETUDIIS & Literis JOSEPHI SIGMUNDI.





Q. D. B. V.

## PROOEMIUM.

**N**agnam & tantum non infinitam morborum varietatem esse pro personarum non solum, sed & regionum diversitate, ipsa docet Experientia; Quemadmodum enim morbi reperiuntur quasi universales & ubique ferè locorum sine discrimine passim grassantes, quales sunt v. gr. Cephalalgia, ophthalmia, febris, hydrops, & complures alii; Ita dantur & morbi huic illive regioni ejusque incolis si non proprii, saltem magis frequentes & pluribus communes; Sic v. g. *Londini* magis quam alibi locorum grassari solet phthisis; In *Alsacia* plures reperiuntur podagra nodosa laborantes; In *Gallia* & præsertim *Lutetiae Parisorum* Diarrhoea, febresque ardentes peregrinos ut plurimum infestare solent; Quod cum ipse superiori æstate ex parte fuerim expertus, placuit in præsens pro thematे Dissertationis Inauguralis paucis agere de his duobus morbis, Diarrhoea scilicet & Febre Ardente, quibus exterios Lutetiae degentes saepe numero corripi, iis facile omnibus constat, qui aliquandiu ibi versati sunt; Tu vero, Optime DEUS, annue cœptis, & dirige conatus nostros in TUI gloriam & proximi salutem!

# Sectio I.

## De DIARRHOEA.

### §. I.

**HISTORIA** hujus mali hæc est: Ex improviso totum corpus pervadit horror satis molestus, isque pro ratione causæ morbificæ & dispositione subjecti major vel minor, frigescunt membra præsertim exteriora, manus ac pedes; succedit dein Calor, modo plane febrili totum corpus perfundens, interdum admodum gravis, interdum phlogosen referens, quem post aliquod temporis, horulæ v. gr. intervallum, excipiunt tormina & cruciatus interdum gravissimiac molestissimi, qui facta dejectione copiosa ac larga materia fluidissimæ parum viscosæ remittunt; Sequuntur plerumque per diem dejectiones alvi plures vel pauciores, præcedentibus semper torminibus, succedente vero adstrictione sphincteris alvi tenesmode dolorosa; appetitus interim naturali primo quidem die in totum fere similis, sitis vero aliquantum major & à statu naturali recedens; Secundo & tertio die, durantibus imo ut plurimum auctis torminibus, dejectiones denuo fiunt largæ satis ac vehementes, appetitus valde imminuitur, sitis econtra augetur & languor totius corporis viriumque notabilis debilitas persentiscitur; Quarto deinceps die, si quidem omnia rite procedant, & talis Diarrhoea neque in Dysenteriam neque Linteriam, quod rarius contingit, mutetur, dejectiones, & quæ eas præcessere tormina sensibiliter remittunt, multumque leniora fiunt; Tandem quinto & sexto die ut plurimum appetitus bono omne redit, naturalique fit similis, sitis præternaturalis desinit, lassitudo remittit, totumque corpus robur vitale, vigoremque pristinum naturalem in totum recipit, sicque æger superato hoc morbo firmiori deinceps fruitur valetudine.

### §. II.

**PATHOLOGIA.** Quantum mutatio aeris sive Loci victusque valeat in corpore humano, quantasque saepius inferat alterationes, nemo est, qui ignorat; Neque id noster solum *Hippocrates* prolixè satis in suis libris demonstravit, posterisque inculcavit, sed & recentiores inter cùmprimis *Sydenham* hoc fine phthisicos suos Londino exedere & puriore extra urbem aere per aliquod tempus frui jussit. Ipsa quidem respiratio, quæ aeris inspiratione, inspiratiique expulsione perficitur, cum vita pari passu ambulat; Unde quoties insignis aeris, mutato loco, fit mutatio, in ipsa quoque Oeconomia animali mutationem oriri, necesse est, ita quidem, ut transitus ex aere

puro & sano in aere in purum variisque particulis heterogeneis venenatis, vel alio quocunque modo naturæ inimicis refertum, non possit non variorum morborum causa existere, unde *Hippocrates* lib. d. *flatibus*, aerem vitæ & morborum causam esse ait, pro diverso puta respectu; quamdiu enim laudabilis est & purus, motu convenienti leniter agitatus, nullis inquinamentis nullaque vitiosâ uligine corruptus, ad conservationem vitæ & sanitatis utique multum conducit; Contra vero morbos eosque varios producit, si vel justo sit calidior, vel frigidior, humidior aut siccior, motu convenienti plane destitutus, vel nimis concitatus, aut denique vitiosis ac putridis terræ exhalationibus refertus. Quemadmodum vero cum loco ipsum quoque aerem mutari necesse est, ita & diversa vietus ratio, quæ pro varietate regionum & ipsa multum variat, magnam plerumque corpori humano alterationem infert, quæ gravissimorum subinde morborum causa esse solet, quanquam & sint, qui post varias aeris vietusque mutationes nihil mali persentificant, id quod robori ac bonitati singulari naturæ, mutationes illas facile superant, constitutionique totius machinæ perfectè naturali, omnisque fere causæ morbificæ experti adscribi debet; Differunt enim juxta *Paracelsum* corpora humana à se invicem non secus ac ager ab agro, terra à terra, regio à regione differre cernitur. Ut vero ad institutum nostrum proprius accedamus; Primo quidem AER Parisiensis non uno laborat vitio; Aut enim nimis est humidus, effluviis aquosis ex flumine *Sequana* dicto vastissimam urbem percurrente, continuo ascendentibus; aut siccus nimis, in quibusdam urbis partibus a dicto flumine longius distans ac remotioribus, tempore imprimis aestivo & in diebus maxime Canicularibus, ob ardorem solis intensissimum, exterisque remissiori quippe caloris gradui adsuetis molestissimum; Accedunt miasmata putrida ex variis animalium cadaveribus, quæ magno passim numero ab incolis in flumen illud promiscue projiciuntur & prætereuntium nares fatore sat gravi ac noxio afficiunt, idque eò magis, quia ob præcelsam ædificiorum capiendis tot hominum millibus accommodatorum altitudinem, neque aet libere per ventos agitari, neque per radios solares exsiccati debitoque modo corrigi potest. Ipsam quoque terram, cui urbs superstructa est, Sulphuream esse exinde liquet, quia odore, sicuti effodiatur, ova putrida, vel & aquam fontis Reitlingensis in totum refert, & argentum colore fusco aut subnigro tingit. Circa VICTUM & in specie quidem POTUM id vel maxime hoc loco notandum venit, quod aqua fere omnis, tum quæ vel sola vel vino admixta bibitur, tum quæ in culinis coquendis cibis adhibetur, vel ex ipso flumine illo publico hauriatur, vel ex eodem per canales in remotiores urbis partes deriyetur, prout inscri-

inscriptio habet marmori incisa:

*Sequana cursus primum Regina allabitur urbi  
Tardat precipites ambitiosus aquas  
Captus amore loci, cursum obliviscitur, anceps  
Quo fluat, & dulces necit in urbe moras.  
Hinc varios implens fluctu subeunte canales,  
Fons fieri gaudet, qui modo flumen erat.*

In quo per totam fere urbem linteamina sordidissima, etiam eorum, qui fœdissimis laborant morbis, communiter lavari solent, omnesque generis sordes, stercore atque excrementa hominum & brutorum undiquaque confluunt; Accedit, quod hæc ipsæ aquæ in cisternis pro usu culinari per longum saepe tempus afferventur, sicque majus subinde vitium, & quasi putredinem contrahant, licet ex altera parte à crassioribus imputitatibus, suo quippe pondere in fundum cisternæ tendentibus ac subsidentibus, aliquantis per depurantur. Quod si Chymico celeberrimo Lemery fides sit habenda, ipsa quoque hæc aqua aliquid salis laxativi & emollientis secum vehit, vid. *traite des alimens p. 482.* Quæ aliunde in urbem adducitur aqua fontana, pauca, & sua quidem natura longe præstantior est, at noxiā tamen qualitatem eam ex canalibus, quibus vehitur, plumbeis contrahere, valde credibile est. VENNUM, quod ibi in usu est, per se quidem satis bonum est ac generosum, non unius tamen generis, aliud quidem in Burgundia, aliud in Campania, aliud denique in locis circa Regiam urbem proprioribus natum; Istæ vero impuritates, quas in aqua hæc diximus, communiter & vino immiscentur, quippe quod aquâ ab omnibus ferè dilui solet; & præterea artes atque fraudes œnopolarum, in Patria nostra ante complures annos feliciter detectæ, etiā Gallis non sunt ignotæ, adeo, ut Colica plumbea inter ipsos non infrequens a celeberrimis Practicis vino forte lithargyrifato, vel alia ratione corrupto, non sine justa suspicione tribuatur. De CIBO autem id constat, quod varia plerumque herbarum & radicum genera ineptè ut plurimum, misceantur, quæ certe non ad omnium palatum, nedium stomachum sunt, & pro dispositione subjecti ad Diarrhœam multum conferre possunt; Tum vero ob jejuniorum frequentiam multus quoque piscium etiam salitorum ibi est usus, ut de aliis nunc bona diætæ defectibus ac erroribus non dicam. Quibus ita se habentibus fieri non potest, quin cruditates in ventriculo & priniis viis magis magisque augeantur ac cumulentur, & modo citius modo tardius sese exerant, dum alii sub primum statim adventum, alii post aliquod demum temporis spatium morbo isto corripiantur; Quemadmodum

admodum enim nullum de cruditatibus periculum sive metus imminet, ubi  
 1. Liquor salivæ similis, sive fermentum sive menstruum appelletur, ad di-  
 gestionem absolute necessarius in statu naturali, recteque constitutus est;  
 Ubi 2. Alimenta, quæ pro nutriendo corpore ingeruntur, sunt boni succi,  
 concoctu facilia, nullis impuritatibus naturæ inimicis grava, & ubi  
 3. Quantitas ingestorum non est nimia ac excessiva, sed quantitati liquoris di-  
 gestionem promoventis, generationemque cruditatum impedientis propor-  
 tionata; Ita ex opposito his tribus potissimum modis digestio redditur vi-  
 tiosa, & cruditates in primis viis producuntur, vitio vel menstrui, vel ali-  
 mentorum sive qualitate peccantium sive quantitate excedentium: Fermen-  
 tum enim (saliva, menstruum,) sive illud ex ore per Oesophagum descen-  
 dat, sive ex glandulis superficiem ventriculi internam obsidentibus exsudet,  
 sive utrumque fiat simul, id quod probabilius esse censemus, illud ipsum  
 est, quod substantiam alimentorum in ore jam masticatorum accessioneque  
 copiosa salivæ alteratorum magis subinde penetrat, ac concurrente continuo  
 ventriculi motu penitus dissolvit; Hoc igitur male & p. n. constituto, effe-  
 ctus ejus non potest non esse vitiosus, qualis enim causa, talis effectus;  
 Alimenta quippe ingesta, præsertim concoctu difficultia, vel vix dissolvuntur  
 ac digeruntur, vel aliquantum digesta ac soluta crudum tamen relinquunt  
 chylum; Largius assumta, ob quantitatem menstrui tantæ ciborum copia  
 digerendæ minus sufficientem, quoad magnam partem indigestare manent, &  
 in primis viis cruditates relinquunt, quæ varios successu temporis motus in  
 ventriculo & primis viis turbulentos ac inordinatos excitant, suamque aci-  
 ditatem vel acrimoniam pungendo ac vellicando ventriculum & intestina non  
 sine doloroso horum cruciatu exserunt; Tandem vero à natura ceu humores  
 noxii & majus damnum minantes modo plane critico ejiciuntur, ita quidem  
 ut dejectiones per aliquot dies continentur, & constrictio sphincteris ani-  
 tenesmodes à forti ejusdem irritatione tamdiu sentiatur, quamdiu materiæ  
 peccantis, bilis actioris, affluxus atque inde orta partium vellicatio durat;  
**Horror febrilis** cum subsequente calore testatur de sensibilitate naturæ, co-  
 natu ac motu ad expugnandam materiam hostilem tendente, qui non aliud  
 esse videtur, quam motus sanguinis auctus, cum quadam mixtionis altera-  
 tione: Criticam enim esse hanc evacuationem probant symptomata le-  
 vioris plerumque imo levissimi quandoque gradus cum euphoria subse-  
 quente conjuncta. **Sitis** quæ ægrum urget, debetur subtractioni & eductio-  
 ni humorum satis copiosæ per aliquot dies continuatae, neque enim solæ e-  
 geruntur cruditates, sed irritatione tali magnus humorum ad partes illas fit  
 affluxus.

affluxus, qui una cum cruditatibus ejiciuntur; Unde talis fluxus communiter Diarrhœa à toto dici solet, quia juxta *Mæbius Tab. XIV.* humores copiosi per alvum rejecti totum genus venosum eos cò mittere satis īdican; Et ex eadem ratione sitis plerumque purgationem medicamento factam, de qua *Hippocr. Sect. IV. aph. 19.* sequi solet.

### §. III.

Circa THERAPEIAM sive tractationem Curatoriam id quidem vel maxime observandum est, Motum naturæ Criticum, non facile turbandum esse; quamdiu ergo symptomata omnia sunt mitiora, dolores tolerabiles, dejectiones neque nimis frequentes neque nimis violentæ, lassitudo corporis exigua, medicamentis vix opus esse existimamus, præsertim ubi de bonitate temperamenti ac robore naturæ sat is constat; In tali enim casu, ubi fluxus iste fit cum quadam euphoria, minime sistendus est, sed pro beneficio potius naturæ habendus, juxta *Hippocr. aph. 2. & 25. Sect. I.* Confer. *Mæbius Tab. XXI.* ubi ait, considerandum est, an fluxus alvi fiat criticè, & à materia turgente, in tali enim casu non temerè est sistendus. Quando autem morbus ingravescit, & symptomata in histria recensita exasperantur, ( fit enim quandoque ut diarrhœa degeneret in Dysenteriam vel Lienteriam ) tum sine dubio ad medicamenta erit recurrendum, quod & cessante post aliquas dejectiones fluxu, remanentibus interim reliquis symptomatibus, necessitas omnino postulare videtur, quo in casu lenie aliquod purgans ad ejiciendam materiam peccantem in corpore adhuc hærentem, propinandum esse censemus, idque juxta monitum *Hippocratis Sect. I. aph. 25.* ubi ait, si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & facile ferunt; qui aph. in euphorbia ægti subsecente fundatus est. Pro hoc autem scopo præ multis aliis ex Fonte Pharmaceutico depromtis medicamentis famosum illud antidyfentericum, Radix scilicet Brasiliensis, Ipecacuanna dicta, exhiberi potest, cuius descriptionem orbi literato dedit *Guilhelmus Piso, Medicus Amstelodamensis.* Usus vero hujus specifici adversis omnes ventris fluxus inventionem sibi vindicat Dn. *Helvetius Practicus Parisiensis*, qui à defuncto Rege Galliæ Ludovico XIV. mille aureos dono se accepisse gloriatur, in libro, cui tit. *Traité des maladies les plus fréquentes.* De hoc vero nobili remedio id cumprimis observandum, usum ejus in primis statim diebus maxime salutarem esse, dum vires corporis adhuc integræ sunt, ac nondum per diuturnas ac frequentiores dejectiones exhaustæ, id quod *Helvetius innuit his verbis: ce remede guérira infailliblement toutes ces maladies,* ( loquitur autem de fluxibus alvi ) lorsqu'il est pris au commencement, & qu'il restera

reste encore quelques forces au malade , hinc est , quod valetudinarios , qui cum alio morbo jam diu luctati sunt , ab hujus remedii usu prorsus excludat , quales sunt v. gr. qui seirrho viscerum , aut vitio pulmonum laborant , aliquae . Dosis variat pro diversitate subjectorum Juveni ac viro de cœtero robusto satis ac vegeto *Helvetius* ut & *Tournefortius* exhiberi jubent gr. XX. vel XXX. in iusculo mane jejuno stomacho ; *Lemerig* vero in tr. cui tit. *Traité des Drogues simples* multo parcior est , dum a gr. viij. ad xx. & vix ultra ascendendum esse suadet : De modo vero agendi , judicium formari potest ex phænomenis , quæ usum hujus remedii comitari solent , quæ sequentia sunt 1. post assumtam hujus radicis dosin æger sentit cardialgiæ aliquam speciem , nauseas , sèpius & vomitus , præsertim si dosis fuerit major , ægerque ad vomendum sit facilis ; 2. defecções per inferiora plus , minus frequentes observantur , ex quo pronuntiatur colligere , quod omni jure pro purgante & quidem per superiora & inferiora agente haberi debeat ; Præter vim autem purgandi , aliis medicamentis communem , singularem quandam ac propriam virtutem ei inesse , effectus dubitare non finit , quamvis nemo hactenus pro certo determinare potuerit , in quo ista propriæ consistat ; Gallus quidam *Maubec* dictus in tract. de dysenteria rem acu tetigisse sibi visus est , quando vim istam huic radici fere propriam sitam esse ait , in analogia ejus cum fermento illius fluxus , quam ex observationibus elucescere contendit , verbis autem exprimere nescit : Alii vim nudè adstringentem eidem tribuunt , quod tamen minime sufficit , cum per radicis hujus usum non fluxus solum sistatur , sed & morbus perfectè curetur & quidem sat citò , tutò & feliciter , ita quidem , ut *Tournefortius* in libro , cui tit. *Traité de la Matière Medicale Tom. I. p. 439.* dicat , si vous faites prendre de cette racine au malade depuis un scrupule jusqu'à une demidragme , vous le verrez guérir dans l' intervalle d'un jour , comme par enchantement ; Et supra laudatus *Piso* in his morbis , inquit ad radicem hyperacuanæ tanquam ad sacram anchoram configiendum , qua nullum præstantius aut tutius in omnibus cum vel sine sanguine fluxibus compescendis naturæ et cogitavit remedium , quippe præterquam quod tuto & efficaciter tenacissimos quoque humores per ipsam alvum , sepissime etiam per vomitum ejiciat , & a parte affecta derivet , vim quoque adstrictoriam post se relinquit ; Quod si nulla alia quam adstringendi vis ei competeteret , tum sane in principio hujus morbi tutò adhiberi non posset , cum per nude adstringentia fluxus quidem sistatur , causa autem morbi minime tollatur : *Dn. Helvetius* pro explicando modo

modo agendi dicit : ce remede degage l'estomac & le bas ventre d'une bile acre & visqueuse, qui cause pour l'ordinaire ces maladies : Mihi videtur hanc radicem excitare vomitum , partim nauseam procreando , partim etiam irritando fibras ventriculi & intestinalium , sicque etiam dejectiones per alvum promovere , particulis vero amaris balsamicis cum terrestribus mixtis M. S. aliquo modo alteratam ac in mixtione turbatam corrigere , visceribus omnibus tanquam tonicum leniter adstringendo pristinum robur ac tonum restituere : Quicquid autem horum sit , & quomodo cunque hoc remedium agat , id minimum certum est , quod Tournefortius in libro supra cit. p. 443. afferere non dubitavit , Medicos virtutem hypocacuannæ nulla haftenus ratione aliis medicamentis imitari potuisse , nisi forte pilulis Polychrestis Becheri tantum quis tribuere ausit , cum authore in *Psychosophia* p. 245. Quod si vero fluxus sit vehementior , & per tempus bene longum duret , symptomata quoque sint graviora , occurrendum his esse existimo remediis tonicis leniter adstringentibus ex CC. Corall. Terr. sigillat. aliisque , lenientibus & acrimoniam materiae biliosæ corridentibus , externe quidem e. gr. sacculis emollientibus anodynæ & travmaticis regioni ventriculi impositis ex herb. malv. alth. sanic. fl. verbasc. melilot. hyperic. chamom. &c. Interne vero Emulsionibus ex amygd. sem. papav. alb. 4. frigid. cum aq. convenientibus & gr. j. vel ij. pulver. anodynæ , si quidem cruciatus sint intensissimi : De cœtero Diæta sit parca ac tenuis , regulisque Medicis conformis , corpus à frigore probe defendatur , rerum N. N. usus justus ac legitimus observetur , cum in morbis curandis non tam ad farraginem medicamentorum , quam ad Diætam sit respiciendum , juxta effatum Felicissimi Practici *Waldschmidii in Institut. Med. Lib. IV.* quandoque pro Medicina est non uti medicamentis , sed Diæta exacta .

## Sectio II. De FEBRE ARDENTE.

### §. I.

*Primus* hujus morbi *accessus* plerumque est violentus ac subitanus , dum alii quidem frigus satis intensem cum subsequentे calore per totum corpus se diffundente sentiunt , alii non tam de frigore , quam sub initium statim morbi de calore quodam præternaturali conqueruntur , qui successu

successu temporis magis magisque crescit, & tandem eo usque augetur, ut ægrum recto rationis usu privet & in delirium conjiciat, quo vel sponte vel adhibitis remediis cessante aut remittente dolores capitis sentiuntur intensi, ita ut symptomata utplurimum urgens constituant: succedit *Sudor* satis largus & *Sitis* quædam inexplebilis ac fere clamosa, cum linguæ fauciisque ariditate satis manifesta; *Vices* remissionum atque exacerbationum vel nullæ sunt vel inordinatae ac vix observabiles; *Respiratio* magna, densa, *inquietudo* fere continua, angores circa præcordia; *pulsus* vehemens, frequens ac durus, *alvus* sicca, *urina* pauca, tenuis ac splendida comparet.

## §. II.

*Subjectum* hujus morbi, ut ad PATHOLOGIAM progrediamur, acuti ac periculosissimi, utplurimum sunt Adolescentes vel viri Juvenes, qui habitu corporis bono, dispositioneque totius machinæ perfecta ac naturali gaudent, & de sanguine sufficiente coque vivido ac florido gloriari possunt, maxime vero, qui vel Cholerici sunt, vel de tali temperamento maximè participant: Cum enim Febris hæc acuta, ardens, nihil aliud esse videatur, quam motus sanguinis eccentricus & orgasticus cum turbata totius M. S. mixtione vel primaria statim, vel demum subsequente, necesse est, eos omnium facillime ea corripi, quibus naturaliter motus sanguinis est vividior ac celerior, accendentibus præfertim causis externis sequentibus; Primo quidem Clima Gallicanum multis aliis est calidius & propterea æstivo tempore in diebus præfertim canicularibus majorem in corpore calorem excitat, sanguinemque in rapidiorem subinde ac inordinatum motum agit: Deinde usus vel abusus potius vinorum generosorum, quorum magna Gallis copia suppetit, non parum ad hunc morbum confert, dum æstum sanguinis multum auget, ejusque una crasin & mixturam alterat: Is vero motu tumultuoso ad caput aggestus, ejusque vasa nimium distendens, dolorem, quin & vigilias, &c, ut supra dictum, quandoque delirium excitat; Veteres sanguinem ita constitutum appellarunt inflammatum, quod idem est, ac si dixissent, sanguinem particulis Sulphureis volatilibus scatentem in motum rapidissimum agi, sicque dicta symptomata producere: Calore per aliquod tempus durante per subsequentes sudores justo copiosiores corpus humido naturali & necessario depauperatur & privatur, unde linguæ fauciisque siccitas ad fissuras usque, alvi siccitas capiti maxime præjudicans, & denique sitis permolesta, non possunt non oriri: Pulsus, motui quippe

sanguinis respondens, non potest non esse celerrimus ac fortissimus, simul vero tensus ac durus, quando interna partium fibrosarum inflammatio accedit, qualem quinto demum die febri supervenientem observavi in studioso quodam, qui septimo die post saepius iteratas V. S. animam expiravit: Conjuncta interdum hæmorrhagia narium, signum est quandoque bonum, quandoque funestum, vel enim indicat Motum Naturæ Criticum, quo Naturæ id, quod sibi molestum atque inimicum est, excernit, atque è corpore expellit, vel solutionem Mæ Sæ arguit, id quod ex reliquo ægri statu & circumstantiis facile dijudicari potest; Quando enim vires decumbentis sic satis bene se habent, & nulla [alia] malignitatis signa sepe produnt, tunc pro motu potius critico, quam solutionis signo talis hæmorrhagia narium censeri debet, quarum vascula, quo debiliora sunt ac tenuiora è facilius à sanguine affluente rumpuntur siveque naturæ expulsionem intendentí portam quasi aperiunt: vid. Forestus Lib. II. obs. unde Sylvius Lib. 2. cap. XVI. dicit, *hæmorrhagia symptomatica agrum valde debilitat & in vita discrimin conjicit, perseverante ipsa febre; & tali hæmorrhagia, inquit porro, ortum habebit à bile valde acri febrem ardenter quidem producente afovente, sed insuper sanguinem admodum attenuante ac dissolvente, adeo ut viam querat & inveniat invasis ad nares tendentibus, ibidemque facile patentibus, vel in utero, vel in hæmorrhoidibus, vel in renibus, vel ali- bi, unde sanguis copiose effluens vires vitales extreme debilitat & in præsens vita periculum conjicit agrum, adeo, ut nisi brevi compescatur sanguinis effluxus, moriendum sit agro.* Per hæmorrhagiam autem narium intellectum volo, largum sanguinisè naribus profluvium, non aliquot saltim guttularum stillicidium quod in omnibus febribus, præcipue vero ardentibus pro signo pessimo ac lethali habetur; Nihil enim paucum Criticum; unde Galenus ait: *Excerni pauca in ægris, unum quoddam ex signis est, quæ ex toto pravitatem habent, sive sanguis per nares excernatur, sive deorsum per ventrem, sive per vomitum tale quippiam, quod superfluum sit, excernatur;* Et Forestus Lib. II. d. febr. obs. XVII. p. 36. dicit. nihil, quod decretorium existit, exigue excerni convenit, vel quod non queat tolerari ob copiam ab affectis partibus effunditur, vel imbecillitatem naturæ ostendit, quæ proponit quidem superflua excernere sed nequit & in Observat. 16. quibus, inquit, rite & largiter sanguis per nares erupit, ii ead causa maxime servabantur, nec ullum novi, si recte ei profluxit sanguis in hoc statu quenquam mortuum: Eofere:

fere modo res comparata est cum sudore subsequente , ille enim rursus pro diversitate causæ & status morbi considerari potest vel ut criticus à natura in bonum institutus , vel ut symptomaticus & ab humorum dissolutione præternaturali magis proveniens , qualem in studioso illo , cuius supra mentionem feci , observavi , qui nullum ex sudore largissimo levamen , neque quoad capitis dolorem , neque quoad anxietatem præcordialem alia que symptomata percepit , sed viribus eo magis penitus exhauriebatur ; Utrum enim in hoc illove casu pro critico sit habendus , nec ne , ex eventu demum judicari potest , si scilicet ægrum exantlato sudore melius se habere contingat ; quod si vero omnia in pejus ruant , & symptomata magis magisque ingravescant , viresque penitus deficiant , nullum amplius dubium superest , quin pro symptomatico sit habendus : Paroxysmus continuus , qui nullas aut vix sensibiles exacerbationum aut remissionum vices admittit , verum tandem hujus febris characterem constituit . Motus enim sanguinis sæpe adeo est eccentricus , ut nulla arte , nulloque remedio coerceri aut sufflaminari possit : Unde Sylvius causam hujus morbi in bile , ejusque acrimoniâ per æstum solis contractâ , & in M. S. effusa querit , propterea morbum curatu difficilem pronunciat , quia bilis effusa non possit mox è M. S. educî , & ad temperiem laudatam reduci . Motu enim tali semel facto , particulæ sulphureæ volatiles ibi in magna copia existentes , & a bile acriori , æstate secundum Hippocratem motâ , largiusque sanguini communicata , provenientes , magis magisque explicantur & evolvuntur , omnesque globulos in sero natantes in motum fortiorum secum rapiunt , sicque motus sanguinis auctus per circulum vitiosum fit causa motus subsequentis fortioris , majorisque Massæ sanguineæ turbationis : Urina comparet pauca , splendida , ac intense rubra , quia sudores sunt largi , sicque humiditates serosæ , quæ alias ex renibus per ureteres in vesicam descendunt , per emunctoria cutis excernuntur , ob quam ipsam rationem etiam in statu natutali constituti tempore æstivo , quo plus sudamus , eo minus mingimus , quo minor autem est urinæ quantitas , major vero particularum sulphurearum volatiliumque copia , & quo tardius ea excernitur , eo magis eam coloratam ac tinetam esse oportet , accedente præsertim calore totius corporis vehementiore , humorumque motu veloci , quo particulæ urinam constituentes magis evolvuntur , imo urina quandoque ob fortissimam saturationem comparet subnigra , qualem Practici pro signo frumento communiter habent , & *Fonestus Lib. II. obs. 19.* talem urinam à se sæpius observatam cum perdurante

delirio, aucta faucium inflammatione, extremorum frigore & superveniente partium rigore vel convulsione numerum signorum instantis mortis absolvere ait, eamque ab humore adusto derivat.

### §. III.

**CURATIO** hujus morbi, cum juvenibus præsertim, ob floridam constitutionem maximum ab eo vitæ periculum immineat, cum summo studio ac prudenti circumspectione est tractanda, ita, ut ad dispositionem subjecti & motum naturæ criticum nunquam turbandum sollicitè respiciatur, & omnia tempestivè, & absque morâ adhibeantur, quæ sanguinis æstum & calorem præternaturalem temperare, & turbationem Mæ Sæ cohibere aut mitigare possunt: Et ex Fonte quidem I. chirurgico V. S. in principio præsertim morbi, quin instituatur, si habitus ægri sit plethoricus, nil vetat. Quemadmodum suo tempore docuit *Leonh. Fusschiüs d. curandi rat.* & authoritate *Galenii* confirmavit p. 559. ut & *Hipp. aph. nov. Sponii Sect. V. 28.* Gallis quidem ( saltim plerisque, cum de *Bourdelino Chymico* morbos acutos sine V. S. contra morem gallicum curante, dicant *Memoires d. l' acad. d. sciences* ) in more positum est, nullo habito temporis discrimine etiam in progressu morbi, & quando is jam maxime invaluit, ad extinguendum calorem sanguinis, æstumque mitigandum V. S. tam diu iterare, usque dum calor remittat, cuius rei funestum vidi eventum in dicto Studio, qui ab initio morbi Chirurgos in consilium vocavit, & ab his venam in uno die septies in brachiis & pedibus sibi secari passus est: Quemadmodum autem omne nimium naturæ inimicum est, ita & V. S. frequentius institutæ, corpus hominis quasi naturali vitæ balsamo privant & effectu salutari intento plerumque destituuntur. *vid. Spony aph. nov. Sect. II. 40.* ubi judicium suum de frequentia V. S. Parisiensem proponit: Præterea quoque *Injectio liquoris refrigerantis* in fauces fieri potest, ad declinandum inflammationis periculum. II. Ex Fonte Pharmaceutico exhiberi possunt Pulveres temperantes ex salibus neutrīs, ut arcan. dupl. Tartaro Ⓛ lat. Ⓛ absorbentibus, ocul. cancr. matr. perl. c. alc. cum cephalicis, pulv. cephal. Cam. Pannon. rubr. in aquis convenientibus refrigerantibus, e. gr. nymph. acetos. acetosell. cum Syr. rub. id. granator. aliisque; Dein interponi quoque possunt emulsiones nimium sanguinis motum efficaciter refrænantes & quietem conciliantes ex amygd. d. pineis, sem. papav. alb. 4. frigid. cum aquis refrigerantibus immixtoque pulvere quodam temperante; Denique cessante aliquantum paroxysmo cogitandum erit de exhibendo illo specifico antifebrili, Cortice nimirum Peruviano, Gallis quoque

quoque valdè usitato , sive in forma pulveris sive Electuarii , sive etiam illo modo , quem *Helvetius* commendat , in tr. cui tit. *Methode pour guérir toute sorte de fievres sans rien faire prendre par la bouche* , ubi corticem illum Peruvianum in omnibus febris Clysteribus immiscere jubet , optimumque inde effectum promittit , ac pluribus observationibus sese expertum esse confirmat ; Tandem si ad fontem Diæticum respiciamus , ægro commendanda est Diæta tenuis ac parca , urgente tamen siti sufficiens potus est subministrandus , non quidem frigidus , quamvis *Leonh. Fuschins* in lib. cit. vigore morbi instantे sinceram frigidam tuto exhiberi posse dicat , id quidem sine dubio de frigida temperata intellectum voluit , uti & *Hippocrates* haustum aquæ cœlestis commendat , vid. aph. *H. Sponii Secl. V. 59.* neque vinosus vel spirituosus , ne forte motus sanguinis magis augeatur , sed aqueus , temperatus , acidulus , v. gr. decoctum ex rad. scorzoner C. C. passul. rad. liquirit. &c. instillatis aliquot guttis spiritus vitrioli ad conciliandam gratam aciditatem quo sanguis diluatur , ejus motus magis magisque inhibeatur , humidum sensibili & insensibili transpiratione deperditum ad liberum autem sanguinis motum apprimè necessarium restauretur , sique ægro , DEO adjuvante , pristina sanitas restituatur .

TANTUM.

## COROLLARIA

ex Anatomia, Chirurgia, & Botanica desumpta.

I.

**C**uriosa admodum anatomicisque maxime utilis est Encherisis illa nova Ductum Thoracicum inveniendi , ab Exc. D. D. Salzmanno , Univers. Argentorat. Prof. Publ. longe celeberrimo in peculiari dissertatione descripta , quæ in quærendo vase quodam lymphatico majore circa venam Emulgensem sinistram posito , maximam partem consistit .

2.

Ductus hepatico - cysticus , quem Galli quidam sese inventisse

nisse gloriantur , hactenus evidenter satis demonstrari non potuit.

3.

**Nova Gallorum tractandi hernias inguinales methodus**, scarificando annulum relaxatum ut se constringat & succrescente ibi cicatrice coarctetur, longe præstantior est, communis illa Empiricis familiari ac usitata, quippe cum excisione testiculi conjunctâ, utrum vero æque sufficiens sit, experientiæ relinquo.

4.

**Nova lithotomiam exercendi methodus ab Eremita illo Jacobo de Beaulieu , Frere Jaques dicto , inventa, primis quidem annis satis infeliciter , dein vero felicissime exercita, procul dubio , si dextre administretur , optima ac tutissima est.**

5.

**Paradoxum Botanicum est antehac inauditum plane, quod Dn. Winslow Academiæ Regiæ scientiarum communicavit, & in singulari modo comparandi semina betæ consistit , committendo scilicet terræ betæ majoris folia certo mense decerpta, & vetusto tibiali inclusa , ibique per statum aliquod tempus relinquendo , in quibus certo rursus tempore extractis, magna seminum copia inveniatur; Fides sit penes authorem.**

